

Paria jam ante constituta fuerant a duobus Avenionensibus Conciliis, quorum primum fuit anni 1326. can. 16. posteriusque anni 1337. can. 20. Observatu dignus est Concilii Toletani primi can. 15. *Si quis laicus abstineretur* (id est excommunicatur) ad hunc, vel ad domum eius, clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & clericus si abstineretur, a clericis devideatur. Si quis cum illo colloqui & convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed & hic pertinet ad eos clericos, qui ejus sunt Episcopi, & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, sive laico sive clerico. Sententia judicis notorie excommunicati nulla est; c. ad probandum, de sent. & re jud. & c. exceptionem, in fine de exceptione.

Can. LXXXIII. Religiosi vero, & Monachi, quibus ne a quocumque interdici, suspendi, vel excommunicari valeant, a Sede Apostolica est indultum, si ad aliqua loca pia, vel etiam Prioratus Ordinaris subiectos destinari fuerint per Superiores suos, & regant ipsos velut proprii ipsorum locorum ministri, seu monachi resident in eisdem; quamdiu morantur in illis ratione eorumdem locorum seu prioratum, non solum in predictis, sed etiam in aliis possint, si deliquerint, a suis Ordinariis puniri, prout justitia suadebit. Hoc idem sanxit Concilium Marcianum anno 1326. can. 26.

Can. CXI. Quia viris litteratis Ecclesia in suis actibus noscitur indigere, provide duximus statuendum, quod de qualibet Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum provinciarum nostrarum per Episcopum & Capitulum duo persona doctores seu doctrine capaces ad Theologia vel juris Canonici studium transmittentur. Et cum per tempus sufficiens ad meritum arbitrium studuerint in altera de facultatibus antea dictis, ad propriam revertantur Ecclesiam: & duo alia ad hujusmodi studium destinentur, non obstante ipsarum Ecclesiarum vel alicujus eorumdem contraria consuetudine, vel statuto. Quod si mittere personas predictas cessaverint per sex menses, ex tunc ea vice, potestas eligendi & mittendi easdem ad ipsorum immediate superiores Praefides devolvatur. Plura vide in Decretalibus, & Clementinis, sub titulis, de Magistris.

9. Can. CXIX. Quoniam Pontificalem decet solertiam rerum Ecclesiasticarum ita curam gerere, & subditorum commoda vestigare, ut Ecclesiastica libertas incorrupta perscrutetur, & singulorum status juxta servetur illis; idcirco nos callidis quorundam machinationibus obviare volentes, statuimus, quod quicumque privilegia, instrumenta & alia Ecclesiastica munimenta ad Ecclesiam & personam Ecclesiasticam, seu quemlibet alium pertinentia retinuerint, nisi infra quindecim dies a tempore scientie hoc revelaverint, illi, vel illis, ad quos predicta instrumenta, privilegia vel munimenta noverint pertinere, si indebita & scienter retinuerint, cujuscuque status vel conditionis existant, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, a qua non possint absolvi, nisi ipsa predicta instrumenta, privilegia vel munimenta restituerint, & de damnis & interesse satisfecerint parvi laesi de praemissis. Praesens autem statutum a Receptoribus seu Vicariis nostrarum Provinciarum precipimus quater in anno diebus Dominicis, dum Missa solemnes celebrantur, publicari. De piis vero legatis, aut de mandatis restitutionibus intra dies octo illis denunciandis, ad quos pertinent, ab ipsis qui exceperunt Notariis, sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda.

Vide superius Avenionensis primi Concilii ann. 1326. can. 20. Notabilis est ad hoc Agathensis canon. 26. haec edicens: *Si quis de clericis documenta, quibus Ecclesie possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversari fortasse tradere, damnabili & punienda obstinatione presumpserit, quicquid per absentiam documentorum interesse damni Ecclesie illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communionem privetur.* Hi etiam qui in domo Ecclesie impie sollicitati a traditoribus aliquid acceperint, superiori sententia teneantur. Habetur c. si quis de clericis, 12. q. 2.

## CONCILIA LONDONENSIA

Adversus haeresim Joannis Wicleffi celebrata.

1. Sub finem hujus seculi decimi quarti sæculi teterrima insurrexit peltis Joannis Wicleffi haeresis, quam ipsa cum aseculis tota Anglia disseminavit, qui ut pastorali officio Guillelmus de Courtenay Cantuariæ Archiepiscopus & Angliæ Primas occurreret, Concilium Londini coegit Episcoporum & seclorum Doctorum regni, anno Chr. 1382. quo primum examinata damnataque fuerunt Wicleffitarum, qui & Lollardi vulgo dicebantur, exitiales propositiones num. XXIV. Sed gliscente ulterius malo, in majorem mox numerum excreverunt. Rex vero Angliæ Richardus ejusdem rogatu Concilii, ne haeretici inquisitioni se subducentes latius venenata femina in animarum perniciem dispergerent, & Cantuariensi, & aliis omnibus Regni Antistitibus suo edicto potestatem fecit, quoscumque haeresis suspectos apprehendi, & in custodias, ne dilaberentur, compingendi, quæstionisque de haereticis instituenti, & convictos non modo pœnis canonicis plectendi, sed etiam Regis Officialibus tradendi puniendos; quorum pernulti deinde flammis ultionibus absumpti sunt.

2. Anno exinde 1396. Alterum eandem in causam collectum est Londini Concilium a Thoma Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo. Præcipua & horribiliora Wicleffi seu Lollardorum haeresis capita hæc sunt.

1. Quod substantia panis materialis & vini maneat post consecrationem in Sacramento Altaris. Et sicut Joannes fuit figurative Elias, & non personaliter, sic panis figurative est Corpus Christi, & absque omni ambiguitate est hæc figurativa locutio: *Hoc est Corpus meum*, sicut illa in verbis Christi: *Joannes ipse est Elias*.

II. Quod accidentia non maneant sine subjecto post consecrationem in eodem Sacramento.

III. Quod Christus non sit in Sacramento Altaris identice, vere, & realiter in propria præsentia corporali.

IV. Quod si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinet, non consecrat, non conficit, nec baptizat.

V. Quod si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, vel inutilis.

VI. Quod Deus debet obedire diabolo.

VII. Definites parvulos fidelium sine Baptismo Sacramentali decedentes non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi.

VIII. Collatio Sacramenti Confirmationis non est Episcopis reservata.

IX. Quod si Papa sit præstigiator ac malus homo, ac per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

X. Quod Prælati excommunicati Clericum, qui appellavit ad Regem, & consilium regni, eo ipso traditor est Dei, & Regis, & regni.

XI. Quod nullus est Dominus civilis, nullus est Episcopus, nullus est Prælati, dum est in peccato mortali. Et quod populares possint ad eorum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

XII. Quod Sancti constituentes Religiones privatas possessionatorum, quam mendicantium, in sic instituendo peccaverunt.

XIII. Quod Religiosi viventes in religionibus privatis, non sint de religione Christiana.

4. Ista præcipua execrationis capita de pluribus selegi, quæ recensentur in duobus contra Lollardos Londoniensibus Conciliis; etiam vero Joannes Hus suas alias haereses, propter quas in Concilio Constantiensi publice crematus fuit, ex libris Wicleffi hausit, qui 4. libro sui Trialogi cap. 2. & sequentibus usque ad 20. prolississime disserit, nullatenus esse Christi Corpus in Eucharistia nisi ut in signo; hunc tamen errorem Joannes Hus semper se professus est execrare, nec aliud sentire de hoc Sacramento quam quod Romana profitetur Ecclesia, ut perspicue ostendit Joannes Cochleus in historia Hussitarum. Major Pragensium seu Bohemorum pars toxico illo Wicleffo propinato demerata est.

ECCLE-

## ECCLESIAE DECIMIQUINTI SÆCULI

## HISTORICA SYNOPSIS.



1. Nisi Sæculum istud ad universalis Ecclesie clavum sedente Bonifacio IX. Urbani VI. Romæ successore. Anno quippe Pontificatus Bonifacii noni undecimo, celebratum est Romæ Jubilæum, occurrente scilicet epochæ Christianæ anno 1400. Quo tempore dirum Schisma Ecclesiam infestabat; sedebat enim Avenione supposititius Pontifex Robertus ex Comitibus Gebennensibus, frater Petri tunc Comitiss, creatus olim Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum XII. Apostolorum. Facta enim Romæ per vim & metum Pontificia electio, necdum quod erat expectandum, liberioribus suffragiis confirmata, Urbanus intempestive comminatus est a se Cardinalium ordinem sub districtiori disciplina, quam quæ hæcenus extiterat, redactum iri, neque se ullatenus passurum presentes illorum abusus. Quibus verbis illorum animos a se prorsus alienavit. Cumque Regina Joanna

ejusque maritus Otho Brunsvicensis novum Pontificem sinceris officiis, armis, militibus, pecunia & suppellectile demerissent, improvidus Papa cepit consilia de abdicatione Joanna & promovendo ad Neapolitanum regnum ejus patruæ Carolo Dyrrhachino, moliri. Quem tamen pessime indolis Principem postquam regno adinovit, expertus est Urbanus infensissimum hostem. Anno enim 1384. cum ex affectu, quo rebus Dyrrhachini studebat, Neapolim adventasset, ut publice in Basilica primaria inter Missarum solemniam Ludovicum Andegavensem, qui pro Neapolitano regno sibi vindicando Francicum exercitum in Italiam adversus Carolum adduxerat, excommunicaret, Crucemque adversus eum publicaret, Carolumque summum sacrarum copiarum Vexilliferum, Præfectumque constitueret, tradito solemniter ipsi a se consecrato vexillo, Carolus quidem Neapoli relicta copia in Ludovicum exiit, Urbanus vero Luceriam seu Nuceriam unius diei itinere distantem Neapoli profectus est, Margarita vero Regina Caroli uxor acerbis edictis vetabat, ne quid salis, carnis, alteriusve edulii & candelarum, præterquam in cellis & horreis regis venderetur, sub gravibus pœnis, quæ extemplo executioni mandabantur, quo fiebat, ut familiares Pontificis Luceria commorantis neque pretio, neque precibus possent vitæ necessaria obtinere. Verum etiam redux e castris Carolus captato consilio fugiendi prælii, dum vires Andegavensis morbis aliffique arum omnino absque suorum periculo fatiscerent ac dissiparentur, atque inter has moras Ludovicus diem obiisset extremum: Carolus omni metu solutus cum sui officii fuisset, summum Pontificem Luceria degentem invisere, recta Neapolim revertit, indeque ad eum misit oratores sciscitatum, cur Neapoli discessisset, & rogatum, ut reditum non differret, se namque res habere præcipui momenti, de quibus Neapoli cum ipso conferret. Hac irritatus arrogancia Pontifex respondit, consuevisse Reges ac Principes Christianos ad pedes Romani Pontificis reverenter accedere, non autem illum ad se accedere. Si vero se amicum habere vellet, tot gravia vectigalia, quibus regnum Romana Ecclesie fiduciarium opprimebat, abrogaret. Quibus effectus Carolus nunciari jussit, non solum non esse vectigalia remissurum, sed nova etiam propria auctoritate additurum, regnum quippe suum esse jure sanguinis, jure uxoris, & jure armorum. Idque re ipsa præstitit.

2. Interim detegitur sex Cardinalium adversus Urbanum conjuratio, cujus incensor erat Cardinalis Reatinus, cujus consilio Dyrrhachinus in omnibus ac præ ceteris utebatur: quos omnes captos & dire tortos ad confessionem sceleris adegit, atque in diversos carceres inclussit inedia & pudore mactandos. Ipse vero Pontifex adhuc Luceria degens, convocato ad Concionem Clero & populo, ordinem omnem conjurationis longo sermone rexit, cujus architectus detectus erat Reatinus, confictos tam immanis flagitii Regem Reginamque infumulans, quos ipse ad eum dignitatis gradum evexerat: ideoque tantis ingratis beneficiis arbor regno deposuit, & anathemati subiecit, cum sex conjuratis Cardinalibus, & cum Reatino, quos omnes Dignitatis exiit: prætereaque Robertum antipapam cum suis pseudo cardinalibus, consiliariis & fautoribus, urbemque Neapolitanam interdixit subiecit. Ac demum in horum omnium execrationem candelas extinxit & projecit. Carolus vero ardens vindicta omnes, quos Urbano favore deprehendebat, carceribus, bonorum proscriptioni-

bus, omnique calamitatum genere vexabat. Et quia antequam ad excommunicationem proficiret, Pontifex ipsum secundum juris formam citaverat de objectis criminibus coram se responsurum: Carolus sicut dicebat, ut citationi obtemperaret, collecto exercitu Luceriam, in qua Papa versabatur, obsidione cinxit, expugnavit, diripuit, & incendit præter eminentiorem arcam, in qua erat Pontifex gravi penuria pressus, quem sperabat brevi in potestate habiturum, quem deponere aliumque ejus loco sufficere constituerat. Sed inter has angustias opportune cum armata manu adventarunt duo egregii duces partis Andegavensis, Raimundus de Baucto & Thomas Sanseverinas, ipsamque invitis obfessoribus de Luceria eripuerunt, deduxeruntque terrestri ac difficili itinere inter multa pericula Pontificem, una cum suis Cardinalibus, tam liberis quam captivis, ad maritimum plagam, quæ est inter Barletum & Trantum: ibique offerendunt decem Genueum trirèmes in Pontificis subsidium missas, a quibus ille cum suis exceptus Genuum usque prætervectus est.

Fato functus est Robertus Imperator anno 1410. exacto Imperii decennio, eique subrogatus est Septemvitorum suffragiis Sigismundus Hungariæ Rex, Caroli quarti Imperatoris filius, Venceslai Imperatoris ob seignitatem solio dejecti frater natu minor longe commodior Princeps, qui ad corporis & vultus præstantiam virtutes animi adjugebat amplissima fortuna dignas, animi magnitudinem, prudentiam, justitiam, munificentiam, religionis studium: Sola tamen deerat in bello felicitas: Quippe qui ab Joannis Hussii sectatoribus, Bohemiam hostiliter invadentibus, duce Joanne Zisca, audacissimo manuque & consilio prompto sapius acie victus, castrisque exutus fuit, a quo intercepta pleraque oppida, novaque urbs in præcelis rupibus situæ munitissimis Thaboris nomine condita, prædarum & prædonum receptaculum, unde perduelles Hussite Thaboritarum sibi nomen indidit: Mirum vero est, quantum in extinguendo schismate Sigismundus studio religionis laboraverit. Cujus in ea re diligentiam mox indicabimus.

3. Exorta in Anglia Joannis Wicleffi lues haud multo post in Germaniam, sed præcipue in Bohemiam propagata est per æmulationem Doctorum Universitatis, quæ in primaria regni Bohemie civitate admodum florebat. Indignati namque Pragenses Doctores se a Germanis quibusdam Theologis eo consuetudinis acumine in disputando superari, libros Wicleffi ex Anglia compararunt, ex quibus Germanis ignota hæcenus argumenta eruerunt. Quæ quidem æmulatio usque adeo violentum excitavit incendium, facies infausas subicientibus duobus præsertim Pragensibus Professoribus Joanne Hus & Hieronymo, ut brevi tota Bohemia & mox haud exigua Germaniæ pars flammis illis conflagraret. Addebant vero iste Nationes ad errores Wicleffi graves adversus usum Ecclesie querelas exclusionis populorum a calicis Eucharistici participatione, quam asseverabant verbis Christi contradicere, præcipientes carnis manducationem, simulque sanguinis potam, ut ram sine qua nemo vitam æternam assequi possit. Cum tamen caro Christi in Sacramento non sit exsanguis, & sub specie panis non minus sanguis quam caro ipsa continetur. His querimoniis, quæ nondum audite in Anglia fuerant, universa fere Germania jam personabat, favente præsertim Venceslai Regis ignavia, qui nihil de Religione sollicitus, solis corporis voluptatibus & crapulæ indulgebat.

4. Quod attinet ad Ecclesie schisma, exciso venenato furore, alter multo nocentior ejus est insertus loco, ut deinceps metuendum esset, ne per partium æmularum contumaciam pestilens ista consensio in perpetuum per successiones prorogaretur. Mortuo Pseudopontifice Roberto Gebennensi apud Avenionem, Petrus de Luna in ejus sufficitur locum ab aseculis Cardinalibus, Aragonia oriundus, profapia nobilis, utriusque juris peritissimus, quem Niemus contestatur se novisse, dum jus Canonicum in Universitate Mompeliensi magna laude & discipulorum concursu interpretaretur. Hunc Gregorius XI. qui Apostolicam Sedem Avenione Romam reduxerat, per diversos honorum gradus promotum in Purpuratorum ordinem provexerat. Robertus vero Clemens VII. in schismate dictus, umbratili summi Pontificatus dignitatem contra fidem demissionis sapius a se datam annos tenuit sexdecim ad usque interitum, qui ipsi per apoplexiam Avenione obtigit

ann. 1394.